meretur judicium, eadémque ſubit fata. Sentit vir eruditus, non *Mathæum* Judæis ſcribentem, ſed *Lucam* gentium Evangeliſtam, carnalem *Joſephi* Genealogiam texere, *Mathæum* verò ſequi promiſſionis ſeriem, per legales ſucceſſiones continuatam. Sed obſtat omnino, quòd *Mathæus* conſtanter utens vocabulo : *Genuit*, abundè per totum orationis ſuæ decurſum declaret, ſe naturalem, quæ ſecundùm carnem eſt, *Joſephi* Genealogiam depingere. Præter hoc, & aliud, illúdque haud leve, laudata *P. Poſſini* opinio, patitur incommodum. Hac enim datâ hypotheſi, *JESUS CHRISTUS*, non ex *Davide* per lineam *Salomonis* regiam, ſed per ducalem duntaxat *Nathanis*, traheret originem, quod ipſum tamen Patrum traditioni unanimi repugnare conſtat.

CAPUT III.

Altera, quæ aliorum eſt, expenditur Sententia.

§. XII.

Aliam proinde repudiato *Julii Africani* ſyſtemate, concordiæ viam tentârunt alii, docentes S. *Mathæum* genus S. *Joſephi* paternum, & maternum B. Virginis *Mariæ*, deducere à *Davide* per *Salomonem*, *Lucam* verò genus paternum *Mariæ*, per *Nathanem*, alterum *Davidis* filium, referre ad eundum *Davidem*, hoc modo :

DAVID.

Salomon		*Nathan*
Mathan		*Mathat*
Jacob, Anna		*Heli, qui & Joachim*
		Annæ, maritus
Joſeph	*Conjuges*	*Maria*

JESUS.

In hoc ergò, ùtpatet, ſyſtemate, *Jacob* fuit Germanus frater S. *Annæ*, quæ ſubin matrimonio juncta *Heli*, ſeu *Joachimo*, edidit electam ex millibus, B. V. *Mariam*, adeoque *Maria* ſecundùm *Mathæum* naturaliter per matrem ſuam *Annam*, & avum maternum *Mathan*, deſcendit à *Davide* per *Salomonem*, juxta *Lucam* verò deſcendit naturaliter per patrem ſuum *Heli*, ſeu *Joachim*, à *Davide* per *Nathanem*, *Salomonis* fratrem. Patet itaque S. *Mathæum* digeſſiſſe ſtirpem, ac Genealogiam B. Virginis maternam, per S. *Annam* ſororem *Jacob*, & filiam *Mathan*, *Lucam* verò paternam ejuſdem Deiparæ, per Patrem ejus *Heli*, ſeu *Joachim*, ut oſtendatur *CHRISTUM* tam per paternam, quàm maternam lineam deſcendere ex ſemine *Davidis*, non legaliter, ſed naturaliter, juxta Scripturæ S. aſſerta. In hanc ſententiam conceſſerunt *Janſen. Gandav. Concordiæ ſuæ* C. 14. *Cornel. à Lap.* in C. 3. *Luc. Tirinus in Chron. Sac. Fulgent. Bottens* tom. *3. Oecon. Sac.* C. 24. §. 4, eáque tanto ſtudio à pleriſque recentiorum interpretum defenditur, ut hac tantùm ratione, quæcunque adverſùs utrumque Evangelſtam obmoventur, dilui poſſe contendat.

§. XIII.

Verùm quamvis ex hoc ſyſtemate appareat, cui fini Genealogia ab utroque Evangeliſta contexta deſerviat, & quomodo *Joſeph* juxta *Mathæum* ſit filius *Jacobi*, minimè tamen ex illo elucet, quâ ratione ſic *Joſeph* dici poſſit filius *Heli*, qualis dicitur *Luc.* III. 23. *Jeſus putabatur filius Joſeph, qui fuit Heli* &c. Reſpondent aliqui relativum: *qui*, non afficere citato loco *Joſephum*, ſed *JESUM*, ita ut ſenſus ſit: *Jeſus putabatur filius Joſeph* (*qui*

(tamen) *fuit Heli*, nempè filius, ſeu potiùs nepos, quia ex *Maria* genitus, utpote quæ juxta hanc hypotheſin fuit filia *Heli*. At nodum non ſolvit data reſponſio. Sanè in totius proſecutione Genealogiæ, relativum : *qui*, conſtanter afficit ſuppoſitum proximius, de quo immediatè ſermo præceſſit, quidni & ℣. 23, præſertim, quód ſyrus legat : *putabatur filius Joſeph, filii Heli, filii Mathat?* Unde meliùs *A lapide*, & P. *Bottens* reſpondent relativum: *qui* afficere reverâ *Joſephum*, quamvís filius *Heli* non fuerit, ſed tantùm Gener, quatenùs *Mariam* duxit uxorem, quæ erat filia *Heli*, ſeu *Joachim*. Sed neque hoc modo expoſita, placere poteſt hypotheſis. Enim verò ex illa manifeſtè ſequitur, B. Virginem genus ſum Paternum, ex ſtirpe *Davidis* regia, nullatenùs retuliſſe, proin quod nec ipſa, nec *CHRISTUS* ejuſdem filius propriè ex ſtirpe regali exorti fuerint; cui tamen ſequelæ officit, quod promiſſiones venturi Meſſiæ, *Abrahamo* primùm factæ, dein tribui *Judæ*, Oraculo Patriarchæ *Jacobi Gen.* 49, aſſertæ, ac tandem *Davidi* confirmatæ, in maſculinâ *Salomonis* poſteritate implendæ exſpectarentur, ſiquidem Hebræi (quêis matris familia, non eſt familia) originem ſeu genus ſuum non ſecundùm lineam maternam, ſed paternam computare conſueverint.

§. XIV.

Argumento huic noſtro, in ſe certè ſolido, reſpondere conatur Illuſt. *Calmet*, *in diſſert. de Concil. Genealog. JESU CHRIST. Evangelio S. Lucæ præfixâ.* „ Duæ, inquit, familiæ *Salomonis* & *Na-*
„ *thanis* in *Salathiele* & *Zorobabele*, qui ambo in
„ utraque Genealogiâ Evangeliſtarum leguntur, in-
„ ter ſe coeuntes id præſtiterunt, ut regius *Davi-*
„ *dis* ſanguis in duos veluti ramos diviſus in unum

„ denique amnem coalesceret; sed iterum in ra-
„ mos divisus, hinc in *Heli* apud *Lucam*, illinc
„ in *Jacobo* apud *Mathæum* confluxit, ut proinde
„ uterque genus à *Davide*, *Salomone*, ac *Nathane*
„ referret. Sunt enim, pergit, unius, ejusdemque
„ trunci, duo veluti rami, idemque in venas utriusque familiæ sanguis transfunditur. Quâcunque
„ itaque ex parte respiciatur *JESUS*, semper *Da-*
„ *vidis* genus est, sibì que uni decora omnia ejusdem fa-
„ miliæ, tam ex *Josephi*, quàm ex *Mariæ* matris
„ jure deposcit. „ Ita *Calmet* citatus. ---- Supponit indubiè hæc doctissimi viri responsio, eosdem prorsùs esse *Salathielem*, & *Zorobabelem*, apud utrumque Evangelistam, in iisque lineam utramque, *Salomonis* scilicet & *Nathanis* sive per nuptias, sive aliquâ aliâ ratione coaluisse, quam dein iterùm bifurcari, seu decussari vult post *Zorobabelem*, ita ut *Mathæus* texat Genealogiam *Josephi* ex *Abiud* filio *Zorobabelis* uno, *Lucas* verò stirpem *Mariæ* ex *Resa*, altero ejusdem filio.

§. X V.

Sed pace tanti viri dixerim, datâ responsione difficultatem non tolli, sed augeri. Si enim linea *Salomonis*, cum illâ *Nathanis* in *Salathiele* coaluit, quid necesse fuit ante *Salathielem*, utramque lineam studiosè describere? Suffecit procul dubio alterutra, masculina videlicet *Salomonis*, in illorum vel maximè sententiâ, qui putant coalitionem utriusque lineæ, contigisse per conjugium *Jechoniæ* cum filia *Neri*. Eo ipso namque genus *Josephi*, & *Mariæ* referri poterat ad *Davidem*, neque ob matrem *Salathielis*, ex hac vel illâ lineâ oriundam, oportebat genus ejus maternum tam scrupulosè recenseri. Præterea *Zorobabel Mathæi*, diu

post transmigrationem Babylonicam natus fuit, quandoquidem ejusdem pater in ipsâ captivitate etiamnum pendente genitus fuerit, teste luculentissimò, ipsomet *Mathæo. Et post transmigrationem Babylonis*, ait ℣. 12. *Jechonias genuit Salathiel.* Econtra verò *Zorobabel* S. *Lucæ*, vel ante, vel non diu post dictæ captivitatis exordium, genitus fuisse videtur, siquidem illius, utpote jam ætate maturi, auspiciis & ducatu populus ex captivitate ad patrias sedes reversus legatur II. *Esd.* XII. 1. Accedit hic, quod inter *Zorobabelem Mathæi*, & S. *Josephum* novem duntaxat intercedant Generationes, septem decim verò inter *Zorobabelem Lucæ*, & *Mariam*, manifesto satis indicio, hunc alio fuisse tempore priorem, & consequenter esse diversos, ac lineam utriusque sine coalitione procedere.

§. XVI.

Reponit denuò laudatus *Calmet*, factas de Messia promissiones ad universam *Davidis* familiam pertinuisse, & nullibi in scripturis *Salomonem* tanquam futurum Messiæ parentem prænuntiari. „ Id, „ ait, absolvere, *Davidis* posteritati promissum fuit ". Sed fallor, si hæc *Calmeti* exceptio rem conficiat. Apertè satis *Davidi* in scripturis sacris promittitur, Messiam ex semine ipsiùs per *Salomonem* fore oriturum. *Suscitabo*, ait Deus II. Reg. VII. 12. *Semen tuum post te.... & firmabo regnum ejus. Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum ejus, usque in sempiternum. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium*; quæ verba ex parte in sensu etiam literali Christum respicere, ipsemet fatetur *Calmet* in locum citat. scribens, eoquod Apostolus *Hebr.* I. 5. illa applicet Christo. *Cui enim*, inquit, *dixit aliquando Angelorum (Deus) Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium?* Similiter &

David ipſe *Pſal.* 132. ℣. 11. teſtatur promiſiſſe ſibi Deum : *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*; Id quod S. *Petrus Act.* II. 29. de Chriſto exponit. *Viri fratres*, ait, *liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha David, quoniam defunctus eſt, & ſepulchrum ejus eſt apud nos, uſque in hodiernum diem. Propheta igitur cùm eſſet, & ſciret, quia jurejurando juraſſet illi Deus, de fructu lumbi ejus ſedere ſuper ſedem ejus, providens locutus eſt de reſurrectione Chriſti, quia neque derelictus eſt in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem.* Quid clariùs pro re noſtrâ ?

CAPUT IV.

Diſcutitur tertia Concordiæ tentandæ ratio.

§. XVII.

Cùm neque illa, quam vix ad trutinam vocavimus, numeris omnibus abſoluta videatur ſententia, recentiorum interpretum non paucis, ſequens ad conciliandum *Mathæo Lucam*, præplacet hypotheſis.

DAVID

Salomon		*Nathan*
Mathan		*Heli*
Jacob	*Conjuges*	*Filia Heli*
Joachim	*Fratres*	*Joſeph*
Maria - - - - - -	*JESUS*	

Secundùm hanc, ajunt, hypotheſin plana eſt Concordia inter utrumque Evangeliſtam. Eſt enim *Joſeph*, juxta *Mathæum*, filius *Jacob*, & ſecundùm *Lucam* filius, ſeu potiùs nepos *Heli*, proùt patet ex ſchemate. Deſcendit etiam *Maria* ex ſemine *David*, ex parte patris ſui *Joachim*, per *Salomonem*, ex parte aviæ ſuæ, filiæ *Heli*, per *Nathan*,